DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

USU ET EFFECTU

DIGITALIS PURPUREÆ.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
USU ET EFFECTU
DIGITALIS PURPUREÆ;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

J. DE COURCY LAFFAN,

HIBERNUS,

SOCIET. MED. DUB. SOC.

NECNON

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. EXTR.

ET PRÆSES ANNUUS,

SOCIET.QUE RER. NATUR. STUDIOS. EDIN.

SOCIUS.

VIII. *Calendas Julias, horâ locoque solitis.*

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1808.

VIRO ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

CAROLO,

DUBLINII ARCHIEPISCOPO,

HIBERNIÆ PRIMATI ET METROPOLITANO;

COMITI DE NORMANTON;

ET

VICECOMITI DE SOMERTON;

&c. &c. &c.

MORUM SUAVITATE, SCIENTIA,

ET OMNIBUS VIRTUTIBUS

QUÆ HOMINEM VEL CIVEM DECORANT,

ORNATISSIMO;

HAS STUDIORUM MEDICORUM PRIMITIAS,

GRATI ANIMI TESTIMONIUM,

PROPTER MAGNA BENEFICIA IN EUM SUOSQUE

COLLATA,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

D. D. D.QUE

J. DE COURCY LAFFAN.

An Indian Philosopher being asked, From what sources he derived his knowledge? replied, "From the "blind, who never place their feet till they have tried the "firmness of the soil:—*I observed, before I reasoned; and I* "*reasoned, before I wrote.*"

ZIMMERMAN *on Experience.*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

USU ET EFFECTU

DIGITALIS PURPUREÆ.

De Courcy Laffan Auctore.

PROLEGOMENA.

VIAM philosophandi quæ inductionem adhibet, obsoletam anteâ per multa seculorum spatia, magnus ille Baconus, vehementèr studiosèque ætatis suæ hominibus commendavit; post quem ingentem virum prolati incredibiliter bonarum artium fines documento sunt, quantùm ista Ratio ac Methodus cæteris omnibus præpolleant ad doctri-

nas

nas amplificandas; scilicet, unam instituentibus viam hanc præstò est res omnes, quarum exploratio fit, per formas quasque suas certissimè ac liquidò internoscere, familiis discernere, generibus constituere et principiis: indeque et in animum demissæ latiùs, expeditiùsque sunt traditæ disciplinæ, et certum atque parabilem sapientiæ fructum, (nullo erroris tædio,) pollicentur. Simul fit ut, dum rebus nomina, dum nominibus ipsis ordinem, locumque hâc arte tribuimus, non verba tantùm, quod priùs usu venerat, verbis coacervemus, sed naturam luce verâ et suâ collustremus, eòque variorem re ipsa philosophiam quò titulis locupletiorem reddamus. Quòd si interdum in errores nonnulli hâc inductione magistrâ philosophari præ se ferentes lapsi sunt, non illud methodi vitium erit, sed judiciorum infirmitati tribuendum, præceptionibus malè intellectis abutentium; cùm satis constet non minora ex præceptorum abusu incommoda, quàm ex inopiâ, gigni solere.

Sed

Sed in tantâ rerum varietatê quibus docta ingenia exercentur, summam quamdam Ars Medica postulat attenti animi, et in considerando patientiam, et in experiendo sagacitatem. Quotidiani laboris res est, tum quòd in alia post alia mutentur ægri corporis species, et habitus, tum vel maximè quòd, si in reliquis disciplinis præcepta (quæ *Catholica* vel *Universalia* appellantur) inconsultò finxeris, udacia sit; in re autem medicâ, eandem temeritatem si adhibueris, erit luctuosum.

Enimverò in recognoscendis iis, qui de Materiâ Medicâ scripserunt, auctoribus, mirari subit easdem res non diversis tantùm, sed planè contrariis viribus et proprietatibus gaudere; ut quod jam huic Emeticum, idem alteri deindè sit Catharticum, et sic nonnullis Diaphoreticorum, dum fortassè ab aliis, Diureticorum classibus, eadem res adscribatur.

Equidem perpetuam hanc ubique pugnam videas, molestissimam tamen cùm de sedantium genere sermo est; namque hic ita se mutuò

tuò auctoritates eludunt, animique discentium obruuntur infinito dissidio, ut suspicari liceat totam istam generis decriptionem vitiosam esse pariter apud omnes.

Jam si hujus tantæ conflictationis causam quæramus, reperiemus eam fuisse, quòd alii rudem et deproperatam ex uno alterove experimento sententiam dixerunt; alii demum, licèt sæpiùs experti, idcircò tamen falsi sint, quòd de remedio *generatìm* statuentes, *de adjunctis*, quæ sanè potentissima sunt, et propria in omni casu, nihil certi et definiti habeant.

Nempè in *mutato* corporis humani *statu*, etiam rerum medicabilium vim, quâ sese in corpus exserunt, unà mutari oportet, adeò ut sæpissimè præter spem eventus, ac prope contra remedii ipsius naturam, sequatur. Exemplo sit quod in febribus passim deprehendimus: conditionem ægroti corporis eò deduci, ut ammoniâ vino et alcohole sumptis, quæ validissima stimulantium putantur, tamen, calore imminuto, pulsu remittente, reliqua symptomatum

matum febrilium conquiescant: Hinc etiam recrudescens illa nonnunquam per dyspepsiam hectica ægritudo, aromaticorum cardiacorum usu haud rarò discutitur. Ad hunc fermè modum, *quæ sanis corporum incitamentum, ea contra ægris remissiones dant pharmaca, alternante valetudinis statu.*

Ex quibus manefestum est, vix quidquam utilitatis in scientiam medicam redundare observationibus, quas vocant in vulgus, edendis, quanquam eruditis et laboriosis, nisi eâ demùm conditione instituantur, ut in omni morbo quæ *prima* sunt ac veluti *ingenita* ab iis segungas quæ *adventitia*, quæque *insequentia* tantùm sunt; posteà, ut subductis rationibus declares, num quid ex istâ secundariâ accessione aut momenti aut novitatis, principali morbo accreverit; denique ut multiplices symptomatum formas subsequare, et sic absolutam omnibus numeris, circumstantiisque imaginem propones, cui nihil detrahi, nihil adjici possit in morbo dijudicando.

Nimirùm

Nimirùm ea est humanæ valetudinis sors, itaque molli ac prope dicam verecundo artificio corpus temperatum, externis appulsibus cedit, ut periculum sit ne remedia de quibus legimus ad alia atque alia transferamus, nisi perspectam diligentissimè habeamus totam ipsius morbi historiam, cujus pars vel maxima est ea quæ de adjunctis refert; hæc porrò adjuncta si demas, una tollitur omnis judicandi facultas, si fortè experimenta, quod sæpè fit, experimentis repugnent, ac frustrà laboratur, dum ex singularibus observationibus veram remedii proprietatem tentas colligere.

Sanè pœnitendum est, hanc subtilem diligentiam nonnihil desiderari in iis qui materiam medicam, sive particulatìm, sive per tota genera, quæstioni subjecerunt. Testimonii insignis loco erunt medicorum libelli de herba Digitali, cujus de natura et effectibus tam diversa judicia in sese incurrere visa sunt, ut non tantùm argumentis docti homines, sed formulis et præscriptionibus testificati sint dissidii magnitudinem, dum Illi magnâ verborum

borum contentione herbam propè unam salutiferam prædicarent, tam veris quàm affectis laudibus, Hi vehementer dicerent inutilem prorsùs ad phthisin sanandam, veneficorum portentum esse, omnique studio exterminandam e medicinæ formulis.

Jam ut lector manifestè percipiat quanta sit hæc inconstantia, qui æstus opinionum fuerint, simulque ediscat quàm nullo negotio, motus istos doctarum contraversiarum per repetita experimenta accuratior labor conciliare potuerit, etiam inter magni nominis viros.

1mò, Historiam Medicam incipiemus herbæ Digitalis.

2dò, Posteàque de ejus operandi ratione:

3tiò, De exhibendi formulis:

4tò, De usu ejus in nonnullis morbis,—in ordinem tractamus.

I. HISTORIA MEDICA.

JAM inde ab A. C. 1542 * medicis notatam reperio, aptamque, ut quidem judicabant, strumis, ulceribus, tussi relevandæ, attamen de singulari herbæ naturâ et efficaciâ nihil in medicinæ libris ferebatur. Primus omnium WITHERINGUS, quum de formula quadam præscriptionis medicæ consuleretur, quæ ad privatos quosdam, jure hæreditatis, devenerat, magnumque auxilium præstare dicebatur aquâ intercute laborantibus, cùm videret in istâ empiricâ formulâ herbam digitalem, persuadere sibi cœpit, omnem remedii vim in eâ solâ consistere; factoque experiendi periculo, comperit herbam digitalem, et validissimè urinam ciere, et pulsum (quod proprietatis ejus singularis est) pariter retardare; hoc scripto suo, A. D. 1775 edito, se invenisse testatum fecit.

Secundus

* FUSCHUS, Hist. Plantarum.

Secundus post hunc DARWINUS, tractiunculâ in publicum datâ, salutares herbæ vires enumerat, remediumque in ea statuit, pericardii et thoracis hydropis, anasarcæ generalis, et præcipuè pulmonum.

Alteram deinde lucubratiunculam, A. D. 1780, idem WITHERINGUS proponit, scilicet vulgò conceptæ persuasioni obsecutus, experimenta multa de ejus usu in phthisi fecit. Verùm, cùm illam ubique, et indiscretìm, vir doctissimus tabe pereuntibus exhiberet, neque certam in eâ præbendâ sententiam et metam sibi figeret, idcirco queritur, "Quod "si" (verba sunt ipsius medici) "eâ jam "præstanti virtute ad phthisim, quâ anteà su-"perabat, digitalem herbam nunc defectam "experimur et effœtam, aut illud meæ ego-"met imperitiæ tribuerim, qui minùs aptè re-"medio usus sim: aut certè judicaverim sæ-"viorem nunc quam anteà morbum effectibus "ejus repugnare."

Ultimum in hac causa et absolutum, quinque post annis, WITHERINGUS reipublicæ medicorum laborem obtulit, cujus fidem et modestiam vereor, ne paucissimi scriptorum æmulati sint in eodem argumento. Nempè, in hac postremâ commentatione, WITHERINGUS præcipuas herbæ virtutes explicavit tam luculentèr, tantâque doctrinâ et integritate versatus est in animadversionibus communicandis, (ex meris experientiæ fontibus, derivatis) ut confidenter dixerim, si ad istos canones, quos, vir præstantissimus, accuratos formaverat, monitisve, (quibus consultum esse voluit imprudentiæ nonnullorum), sua medici consilia accommodâssent : aut nulla omninò futura essent certamina, quæ per tot annos de vi, operatione, effectibus remedii hujus libros insidere; aut certè, si fuissent, brevi tempore ad pacem revocanda. Adde, quòd de potentissimâ et ancipiti herbæ naturâ, tam multa verè docet, experimentis probata, ut prope nefas sit, inconsulto WITHERINGI libello, remedium hocce usurpare.

Proximus

Proximus WITHERINGO, DARWINUS in Acta Collegii Medicorum, historiam retulit novam, et certam de confirmata phthisi sanatâ, quod diu inter opprobria Medicis fuerat, ejusque sanationem assignavit vi herbæ digitalis; verùm non liquet tamen, *pulsum, imperante morbo, ex digitali variâsse*; tantùm discimus, segniorem factum esse quò magis ægrotus in dies convalebat. Nonne sperandum fuit, prolatis in medium exemplis, quæ clarorum medicorum fide et religione nixa, et præcipuè quando ad communem etiam hominum salutem pertinebant, fore ut omnium animi incitarentur, omnisque ingeniosorum facultas concurreret ad remedii naturam quærendam, quod desperatis priùs morbis, phthisi et hydropi præsens auxilium tulisset. Sed aliter accidit.

Namque ab eo inde tempore ad usque Collectionum et Animadversionum Medicarum editionem *, omnis de hoc argumento studiosorum

---

* "Medical Histories and Reflections."

sorum cura residere visa est. Itaque proximus, annorum intervallo, desertam suscepit experientiam FERRIERUS, ostenditque, vi illâ digitalis singulari, quâ pulsum moratur, utilitatem haud vulgarem in re medica contineri. Adeòque in hæmoptysi (quæ, ipso judice, causam habet ex motu vasorum nimis aucto), exemplis quatuor confirmatus, putat remedium salutariter adhiberi.

Anno deinde 1795, prodiit inter Commentarios Societatis quæ Londini est, CURRII libellus. Hunc si auctorem sequamur, in genus Venenorum, quæ *Sedativa* idcirco dicuntur, quòd vires dejiciunt, Digitalem reponemus. Certè reprehendendos hic putat eos, qui in hydrope, nam eum morbum debilitati tribuit, medicinam hanc propinent. Idem commendat ad systema arteriarum relaxandum.

Post hanc disceptationem oblivioni datam, et nunc fermè silentio deletam, en rursùs scriptores * haud mediocriter docti promulgant,

* "Western Contributions."

gant, in ipso phthiseos ultimo ac prope fatali exitu, egregiam quamdam et manifestam opem hoc remedio subvenisse.

At in Diario Medico et Physico *, mensis Septembris annique 1799, legimus, Medicum Bree, cujus est etiam liber de Respiratione Morbidâ, per plurima experimenta sic censuisse, si omnibus quibus digitalem ipse sumendam præscripsisset noveni statuerentur, in nono quoque demum medicinam sibi quodamtenus utilem visam; in reliquis frustraneam; nec *nullâ se industriâ potuisse pulsuum ictus infra* XCVI. *deprimere per digitalem, quamquam vi ejus, in cæteris manifestâ, corpora afficeret.*

Cujus tamen judicii acerbitatem, editus anno insecuto 1800, Doctoris Magennis liber infirmavit, commemoratis inauditæ felicissimæque curationis exemplis in phthisi, (quorum etiam exemplorum quinque sunt accuratissimè subtiliterque memoriæ tradita),

* "Medical and Physical Journal."

ta), eòque clariora sunt hæc exempla, quòd spem omnem supergressa sint, et mali crudelitas et remedii efficacia: quippè miseris provecta tabes jam in pus resolvebatur; hi tamen omnes annali spatio bellè habuerunt.

Jam anno pòst, cùm opiniones et experimenta de familiari phthisicorum curatione, ac de viribus digitalis, vir cl. BEDDOES publici juris faceret, visus est in hoc opere confiteri sese nimium olim tribuisse naturæ et proprietati digitalis in malis phthisicis; veruntamen historiam memorabilem pariter refert de Medico BRIGGS. Nempè visebantur in hoc pessima symptomatum, Hic tamen ab aliis remediis abstentus, et solius digitalis beneficio, salutem adeptus est. Scripsit etiam in hoc argumentum, anno 1806, REID medicinæ consultus, cujus viri sententia hæc est; digitalem *vi* omninò *stimulatrice* in corpus animatum agere, verùm simul ita rapidè exhaurire et depasci facultatem illam quâ arteriæ excitabiles sunt, ut statim, illæso corpore, vis stimulatrix ac sine sensu consummetur.

Huic

Huic repugnat HAMILTONUS suis animadversionibus, ac verisimilius esse putat, digitalem *vi sedavitâ* prorsùs effectum peragere, sed demùm his verbis: "Ab experientia ipsa "coactus sum," ait, "ut prorsùs assentiar "V. C. BEDDOES consenti, undequaque inuti"lem futuram digitalem in inflammationibus, "nisi corporibus anteà perpurgatis." Postremò Dr SANDERS, cujus de Phthisi tractationem perlego hæc scribens, pro certo habet, Digitalem *potentissimè stimulare.*—Atque hæc sunt quæ de herbæ ipsiùs viribus inter medicos disceptantur.

II. DE EJUS OPERANDI RATIONE.

Igitur cùm, perlectis omnium Medicorum opinionibus, quorum scripta inspicere licuit, viderem a prisco illo FUCHSIO ad hosce recentissimos, *continuatam* de viribus et operatione Digitalis *litem, fluctuare omnia, novisque judiciis vetera abolita;* mecum statui, ut in causâ integrâ, experimentis novis opus esse, eòque

eòque magis, quòd prope pari dignitate viros in isto certamine, CURRIUM, FERRIERUM, DRACUM, cum HAMILTONO, BEDDOES et KINLAKE, compositos spectarem.

Ita, communicato consilio cum sodalibus meis, Doctore THOMA LEE, paucisque aliis, adhibitisque his in partem industriæ meæ, quos, nullæ sectæ addictos, eadem tamen quæ me veri disquirendi in tantis contradictionum tenebris, cura, idemque amor literarum, consociaverant ; plura et varia experimenta facere institui. Longum foret singulorum rationes persequi ; quæ verò ex universis collecta teneo, hæc sunt.

1*mò*, Si a quopiam *sano* digitalis sumatur, continuò pulsuum ictus, et *frequentiores* et robustiores fiant, et hic effectus etiam per aliquod tempus duravit.

2*dò*, Quò majore copiâ sumatur, eò magis effectus isti augerunt, sed *nequaquam in æquali proportione cum quantitate sumpta ;* scilicet, duplicem

duplicem quantitatem, duplex effectus non subsequitur.

3*tiò*, *Post istam excitationem* nos sæpiùs experti sumus, vim sedativam expectatione *multò majorem exseri*, et *longiùs remanere*, quàm e priore excitatione unquam oriri possit.

4*tò*, Majorem quantitatem, quàm nunc in usu, necessariam esse, ad hanc vim sedativam quamprimum promovendam.

Itaque hæc in sanis expertus, deinde experiendi etiam in *ægrotis* copiam sæpiùs adeptus sum. In his reperi *exiguas* digitalis doses, ut plurimùm, constans actionis incrementum subministrare; per quod spatium morbidas effusiones e corporum recessibus amoveri, ulceribus faciem quamdam saniorem obduci, sudorem et urinam profluere copiosiùs, atqui pulsui robor et pondus accedere. Hoc tempore, etsi medicinam subtrahimus, nonnunquam perdurabunt tamen in aliquibus ad horas, in aliis ad quatuor et quinque dies, illa

pulsûs distentio et plenitudo. Posteàque ut plurimùm stomachus nauseat; torpent hebeti veterno oculi; caput vertigine turbatur; corpusque totum micantes dolores pererrant. Jam æger desidiâ conficitur; jam irregulari numero, ictuque debili, pulsus respondet; fœdi pallore vultus, viscidique sudores per membra frigent. Fatiscit constricta præcordiorum regio; labescit animus; accedit laboriosa et inutilis vomitio. Nonnullis saliva redundat; alvusque diarrhœâ solvitur, aut limpidæ urinæ effunduntur. Explicat se ista symptomatum cohors, in nonnullis per horas tantummodo duas, cæteris per dies etiam decem traducitur; verùm pedetentìm remissio fit, nec pulsus idem restituitur, *decedentibus* etiam *symptomatîs*, quin deprimitur potiùs vel infra L., etiam XL., ac vel levissimè conantibus acceleratur. In corporibus, sive eò *dispositis*, sive jam *inflammatione occupatis*, vim suam digitalis manifestat potissimè in pulsu celeriùs urgendo; contrà, in hydrope, dum *pulsui robur* adjicit, dum firmitatem, simul percussionis frequentiam inhibet.

Quam

Quam effectûs discrepantiam aliqui eò trahunt ut opinentur, inflammationibus herbam mederi, quòd, vires vitales absumat : *eamdem hydropi* quòd, *irritamento mali remoto*, supplementariis viribus constitutionem intendat et confirmet.

III. De ratione exhibendæ medicinæ.

Trifariàm exhibetur digitalis. Aut enim sub formâ tincturæ aut infusi, aut demùm siccatæ pulveris, administrari solet. Tincturam, Darwinus (qui primus in formulas invexit) suadet omnibus diebus exhibendam quater, ad guttas xiv. vel xv., istâque formâ præbita judicabatur validissimè in morbos agere : at, Hamiltono judice, faciliùs infusum et promptiùs absorbentia solicitans, commendatissimum habet usum, si in pneumoniâ per moras ingravescente. Adhibeatur, post ritè purgationes factas. Ego certè parem in hydrothorace tincturæ efficaciam comperi. In Ascite, priusquam usurpatur, scillam

et

et hydrargyrum ut plurimùm oportebit in antecessum dari. In hydrope saccato remedium frustrà est.

Adeò non certo eventu diureticis utuntur, ut, cùm nihil profuissent fortissima, efficacissimum sæpè fuerit, quod medicandi vi multo infirmiori præditum est. Adde quod, teste experientiâ, *nunquam tardus fuit* adhibitæ digitalis *lætior effectus*, nec unquam in hydrope lætus est, nisi parcè adhibeatur. Adeoque nil quod ad salutem desit ingenitum est, hujus plantæ *vi narcoticâ*, ut hæc potiùs videatur *pugnare cum vi urinam eliciente*. Hinc patet etiam quàm non cordati sint qui rem eò deducunt, ut illaudabilem illam vim prodat digitalis, quantumque ægri referat, *ne tum illâ pergamus uti, cùm tardè lotii copiam ciet.* Addi potest sociale roboris supplementum supertartritis potassæ, non quidam electuarii formam (ut vulgò solet) referentis, sed largè aquâ dilutæ, cohibente simul vim ejus catharticam, simul diureticam haud levibus momentis augente. Quod autem, haud scienter minùs

minùs quàm commodè, statuit illustris HOMEUS, "distare multùm remedia urinam eli-"cientia illis, quæ obnoxium phthisi valetudi-"nis statum suffulciant:" illud sanè, multorum licèt incuria et negligentia quasi antiquatum relinquunt, haud ideo tamen nobis prætereundum duxi.

Igitur, si remediorum, quibus hydrops loco dejicitur, vires conferamus, singulas singulis, haud gravatim censebo præsidii plùs esse in *supertartrite potassæ*, tratrite ferri, et similibus, quàm in digitale; nam quæ hujus usu demuntur signa hydropis, ea mihi videntur faciliùs renasci, quàm aliis diureticorum adhibitis: inter quæ tamen digitalem semper nobilitabit efficax illa virtus, quâ nonnullæ hydropum species sublevantur.

Sed quamvis lætissima est hujus medicinæ neque ignobilis virtus, fœda tamen et lethalia quæ illius usum mala plerumque insequuntur, talem medicis injiciunt formidinem, ut sæpè hujus diuretici latè dominantem potentiam cum

cum horrore rejiciant; idcirco qui hujus medicinæ vim diureticam præsentiorem reddet, vel sublato, vel minuto saltem virium *narcoticorum* timore, is haud e levi curâ, recreabit medicos.

Cùm ea me cura solicitum haberet, ut comperirem quid spei esset, opio, aromaticis, alcohole, et vegetabilium acidis, perniciosa digitalis corrigendi, saluberrimum tandem inveni esse, *hyperoxymuriatem* potassæ aquâ dilutum; cujus quidem cum dena quotidiè, aut quindena grana, singulis aquæ unciis diluta, præbuissem manè languenti, sub vesperem digitali affatìm utebar. Hoc multis hydrope laborantibus insigniter, teste me, profuit; neque suam spes mea fidem fefellit unquam, fore ut invalidæ ægroti vires, contra eam, quæ digitali inest, inimicam vim, salutari hâc virtute satis munirentur.

Opus est præatereà ut omni, vel minimo quâ fieri potest, labore corporis supersedeant, qui istâ medicinâ utuntur. Hanc porrò molestam

tam cessationem brevi post, major quàm anteà unquam ciborum appetentia et sapor, compensabit.

Nunc de ejus usu in nonnullis morbis, ut anteà proponebatur, dicamus.

IN PNEUMONIA.

Spoponderat olim FERRIERUS, digitalis vi, intersisti posse circumlati sanguinis impetum, ad eum quem vellent medici tarditatis gradum; eoque ducti sunt oraculo haud pauci Medicorum, ut scalpelli auxilium dimitterent in morbis *ex inflammatione* tractandis. "Sanè," verba CURRII sunt, "ipse ego cerebri, cordis, *pulmonum inflammationes*, digitali multoties adhibitâ, sæpiùs vici, quâ si destituerer, acta res erat."

At sunt qui dissentiant vehementer ab illius judicio, idque BEDDOES graviter etiam et acerbè his verbis improbat: "In *pleuritide* si quis, *aut furore aut scelere instigatus, abdi-*

"*catâ*

" *catâ cuspidis ope certissimâ, studioque suo* " *transversim actus, unâ vi sedativâ* digitalis " *nititur;* ille, me judice, aut morbum au- " geret, si in medicinâ dandâ modum teneat; " quòd si *immoderatè præbendo* speret, se, per " excitationem uno eodemque puncto temporis " ortam et intereuntem (quod certè per naturam " rerum fieri possit) rem perficere, non erit dis- " putandum, isto argumento, quin opii usus, " in pleuritide, salutaris sit præ cunctis. Ve- " reor tamen ut qui ita judicet, se ipse tueri " possit conscientiâ animi sui." Secundum hunc ita HAMILTONUS. "Digitalem," inquit, " sæpenumerò adhibueram, tum voluntate in- " ductus, ut sanguinis emissioni parceretur, " in affectionibus *inflammatis*, in *pneumoniâ* " *maximè;* simul eâ spe quam de remedii " efficacia conceptam habui: Sed me *spes* " *ita constanter fefellit, ut persuasum sit mihi* " *temerè jactari* quæ de hujus præstantia in " *morbis inflammatis vulgò ferantur.*"

Sed lex illa animantibus unà omnibus perpe- tuò imperitat, ut quò exaggeratiùs arteriæ inci- tantur

tantur eò deprimantur rapidiùs; proindèque, eò vires istas, quarum concitatio in animantibus est, sumptuosiùs morbi prodigant, quò inflammatiùs grassantur. Ea propter in hoc morborum genere, ut longè citiùs vitalis functio collabatur et ruat, necesse est. Jam pneumonia violentiam habet non usitatam. Malum sthenicum est, eaque præcipuè corpora, eam ætatem magis affectat, quæ vigent robore, unde probabiliter summa et extrema vis inflammationis in hujus morbi strenuitate et acie versabitur. Pro me dicam quod sentio, repugnantibus licèt magnis judiciis, frustrà sperari a digitalis operâ (nisi corpore anteà perpurgato) ut circumvecti sanguinis impetum in pneumonia gubernemus. Et tamen *post mitigata venæsectione febris symptomata*, cum stupore et molestia potiùs quàm cruciatu, premitur æger, item si periculosum est venæsectionem repetere, ut in hysteriâ affectis, vidi cùm mirificè juvaret digitalis exhibitio, unàque emplastrum vesicans pectori appositum.

IN HYDROTHORACE.

Quanquam adfluentis in pectoris cavernam aquæ periculum manifestum est, quòd spiritûs organis, quo vita ipsa regitur et propagatur, obstaculum fit; vix dignam tamen prudente nedum philosopho viro judicaverim, eam quæ diu in medicinæ scholis inveteravit opinionem; nihil spei nec remedii huic morbo tribuentem. In hunc vel ipse maximus CULLENUS errorem ferri se passus est, cujus nonnulla effata et judicia eò majus periculum intentant, quòd clarâ nominis prærogativâ facilem sibi viam ubique patefaciunt; quòd indiscussa pro veris jus dant: Et certè is est quem, etsi non sequaris dicentem, verecundè et attentè tamen audire debeas. Verùm est quod humano generi gratulemur potiùs tantum hunc virum erravisse; istamque opinionem falsitatis convinci; pluraque, recentiorum experimentis, morbi prorsùs exterminati, plurima relevati testimonia constare. Judicant haud pauci, iique callentissimi medicorum,

dicorum, sæpiùs nunc quàm anteà hydrothoracem incessere; sæpè alios morbos ut *cordis*, et magnorum *vasorum organicas affectiones*, *anginam pectoris*, et *asthma* simulare, nonnunquam adeò latenter grassari, ut omne judicium effugiat. Sed cùm ex signorum quæ morbo huic, ut plurimùm, adsunt, judicandi locus est aquam in pectus confluxisse; tum certò si quid consentientibus undequaque Medicorum judiciis tribuere fas est, ut ne aliquid jactem eorum quæ ipse vidi, nullum aliud audaciùs quàm istud digitalis remedium commendaverim. Sanè in nullâ hydropis formâ, parem ac in hydrothorace, victoriam perpetuò ostentat.

IN ANGINA PECTORIS.

Tales sunt hujus morbi insidiæ, talisque signorum inconstantia et varietas, ut mirum non sit, delusos sæpè medicos hæsisse, nec de morbo, utrùm adesset necne, assecutos. Narrat duobis exemplis WITHERINGUS, cum diu

anginam

anginam pectoris lusisset, serò denique a medicis hydrothoracem deprehensum. In uno ex his, ait, tam morbo quàm curationibus evictum paucis post diebus ægrum expirâsse. In altero fœminam convaluisse, digitali sanatam, idque dierum octo spatio. In exemplo *Bellamy*, testis est PARRIUS adfuisse *signa Angina Pectoris omnia*, nec ulla tamen in patefacto per anatomen corpore, mortis causa visebatur, præter *aquæ* in pectus *effusæ copiam*, ad congium dimidiatum. Nimirùm quum dissectis eorum corporibus, quibus morbus iste exitio fuerat, in *pluribus aqua reperta sit*, osseæque indurationes; in aliis nihil morbidi exstiterat, præter effusum in pericardium liquorem, quamvis iisdem signis præeuntibus. Inde est quod omnis interdum etiam sagacissimorum divinatio ambigat, utrùm signis *effusus liquor causam dederit, necne.* Adeòque quòd in certâ Anginâ pectoris vix puto digitalem ut noxiam reprobari posse, subest ratio cur in hâc propè desperatâ et vaferrimâ calamitate, ejusdem periculum facere oporteat.

IN

IN CYNANCHE MALIGNA.

Occupant vulgò post morbum hunc, extremas partes, totumque adeò corpus hydropici tumores. Ii, morbo jam desito, multas post hebdomadas insequi solent; nec statim quò vehementior præcessit morbus, eò major et consentanea suboritur hydropica dispositio, sæpè etenim, post levem morbiculum graviter occurrit, depulsaque usitatis curationibus redit, corpore in speciem vegeto. Quàm latè pateat adversus hunc morbum digitalis efficacia, ex ipso WITHERINGO audiamus: "A. D. 1779, "plurimis interfui hydrope laborantibus, quem "aut Cynanche Maligna aut Angina contraxerat; signorum notatio propè una omnibus, "pariterque ad unum omnes digitali herbâ in "integrum restituti."

IN DYSPNOEA AQUOSA,—hæc est species a CULLENO descripta.

Morbus in senibus præsertim, opinione frequentior; qùod sæpè clam insidens, nec periculi denuntiatione factâ, in Hydrothoracem vel Hydropem desinit. Comites habet Malleorum tumores, urinæ diminutionem, atque irritatis per confluentem aquam pulmonibus, Asthma. Usu quidem venit, ut huic morbo, ac si ex distillationibus orto, Balsama excernentia (seu expectorantia), et succina arborum, adhibentur: haud negaverim ista aliquando profuisse; verùm hoc persuasissimè contendo,—auxilium stabile et duraturum a vi potissimùm diureticâ, quâ digitalis anteit, meliùs expectari.

IN HÆMOPTYSI.

Etsi plurimùm refert, tum in dignoscendo, tum vel præcipuè in minuendo, hujus morbi periculo, quâ ætate, quo sexu ingruat; nulla tamen

tamen sanguinis emissio subitanea videtur ex iis organis, (quæ ut impunè lædas vix est,) metu carere. Jam ea structura pulmonum est, id officium, eaque conceptaculorum perpessio, ut magna opportunitas præbeatur sanguinis eruptionibus. Opinatur BEDDOES, in his quæ laudatissimè de phthisi conscripsit, hæmoptysim oriri ex inæqualitate vis quæ in arteriis, si ad venas comparatur, motum dat. "Nam etsi quemlibet tibi ipsi in "sanguine propellendo arteriarum impetum "statuas, tamen si venæ segniùs adhuc refe-"rant, necesse est hæmorrhagiam fieri." Igitur viri philosophi sententia est, ex debilitate venarum, æquilibrio sublato, hisque jam non satisfacientibus officio suo, congestionem sanguinis eò usque crescere donec venæ disrumpantur. Jam quoniam in confesso est, eò magis debilitari venas, quò magis ætate provehimur, si veram esse fingamus illam opinionem, fateamur oportebit proniorem, singulis annis, corporis dispositionem ad hæmoptysin reddi, pluresque quinquagenarios, quàm vix adolescentiâ egressos, huic malo obnoxios spectari; quod longè abest a vero. Equidem mea

conjectura

conjectura est, hæmoptysin *ad debilitatem*, ut plurimùm, referri; hanc vel proximè vel per obliquum invadere, item aut partes aut totum corpus afficere. Quæ verò partes occupet, debilitatem diu insidere posse, quin molestiam toti exhibeat, nisi demùm vis externa aut labor, sanguinis impetum concitet, qui, oppressâ vasorum compage et intensione, evictam et debilem venam disrumpit. In ea conditione sunt, qui cursu, spatio, labore facto, sanguinem exspuunt. His licet ipsius BEDDOES verba subjungere, "ut statim videas quàm non sit "credibile ex *nimiis viribus* oriri istas quæ ul-"trò veniunt, sanguinis e naribus vel pulmo-"ne emissiones;" satis erit eos recensere quos morbus iste immunes præterit. In Agricolâ, in Bajulo, in Laniis, Nautis, totâque istâ patientissimâ et immani firmitate, in Viragine Piscaria, frustrà hæmoptysin quæras: teneram, delicatam, fractam, valetudinem assectatur.

Visum fuit pluribus qui digitalem putabant *vi sedativâ* STATIM agere, validissimi argumenti locum obtinere, quòd hæmoptysin cohibet; sed

cùm

cùm ex debilitate potiùs hunc morbum sæpiùsque oriri ostendatur, nec quidquam in eo, ab inflammatione pendere; convenit magis hic effectus vi herbæ stimulatrici. Nempè, ruens sanguinis universitas, circuitu suo agit in vasa, eaque stimulata contrahuntur. Rursùs in ipsùm sanguinem vasorum actio regeritur. Quamdiu sanguis iste et copiâ et pondere canalium firmitate aptatur, omni eo tempore æquabiliter durat undequaque circuitus. Verùm si aut debilitate, aut alio quocunque impedimento, in singulis partibus cessatio fit, nec pro sua portione sanguinem transmittant arteriæ; accumulatur flumen,et vel per disruptionem,vel ut fors tulerit, depletione succedante, eò usque sanguis redundat, dum nimirùm distenta vasa se ad priorem capacitatem adstrinxerint. Hoc quotidiano experimento videre est in sanguinis effusionibus, quæ sponte desistunt; verùm si aut major diruptio fit, aut venæsectio profusiùs indulgetur, jam minus interni sanguinis relinquetur, quàm quod satis sit ad vasa solicitanda. Inde neque vi suâ se hæc restituent, perpetuòque fluxurus est sanguis: scilicet hoc experi-

mur in ea hæmoptysi, quæ *passiva* nominatur. Jam si statim relevatis, per emissum sanguinem, pondere enormi venis, excitamentum aliquod præbeatur, ut eo se adstringant, coalescent hiantia et rupta, sisteturque fluens impetus. Hâc ratione profuisse digitalem, ex medicorum gestis, potiùs quàm effatis, discimus: scilicet, venæsectionem censent liberaliter adhibendam, priusquam digitalem exhibeas.

IN PHTHISI.

Prolabentium in phthisim corporum vix quicquam manifestiori indicio fuerit, quàm circulatio incitata. Quod ferè sequentibus tradit, vir qui, multa felicitèr pensitata illustravit: "In eo plurimùm erit opis, ut, explorato "arteriarum pulsantium statu, æstimatio inde "fiat, quantùm periclitetur ægrotus, cùm diu"tinæ jam tussi formidolosa signa superve"niunt.*" Ad reprimendum hoc symptoma, vel

* HEBERDEN. Comment. p. 370.

vel etiam prævertendum proclivitatem, inesse digitali salutarem vim prædicant e Medicis nonnulli, ex quorum usu erudita inter Britannos claruit sagacitas. Attamen cùm, prima sui signa edente phthisi, duriusculis filis subsiliunt arteriæ, et rubicundiore vultu, calor fervidius sitisque ingravescunt, cùm trahitur ægerrimè spiritus, et pectus acriter dolet, *tum nulla hujus remedii efficacia est, neque tardabit nimiam arteriarum celeritatem*, ni tali subindè copiâ sumendum præcipiatur, unde importunissima, ne dicam funesta mala, oportet pertimescere. Tum, nondum adhibitâ digitali, profuerint quæ sequentur: Vena secta, vel quæ fert ad certam aliquem partem, vel sæpè etiam, pro re nata, qualiscunque vena; vesicatoria, lac, olera, arborum fructus, potiones acidulæ, illaque omnia, quibus continetur victus calidiorem sanguinis temperiem depellens, modò tamen ne tali sint indole, quæ imminuere vires ægroti possit.

Cùm

Cùm verò *phthisi languescunt fœminæ*, quæ quidem labes sæpenumerò ad universam corporis debilitatem, *turbatum*que deinceps *uteri statum*, origines suas refert, ea curandi ratio ineunda est, quæ fibrarum robur intendat; absterrente licèt nimio sanguinis per arterias micantis impetu. *Tum verò digitalem inter prima experiri licet.*

Et hæc quidem herba, cujus virtute partes corporis læsionibus irritatæ mulceantur, et ex ulcerosa earum superficie sanies sorbeatur, pro præsentissimo *inveteratæ phthiseos* remedio habita est. Verùm quamvis, animo reputans multa fide dignorum Medicorum testimonia, haud diffidendum reor, in illa herba lenimen aliquod, aut fortè medelam phthiseos fuisse, cùm purulentam illa sui ætatem decurreret; neque probè officio fungi virum medicum, qui remedium nulli secundum prætermittit; metum tamen facit illud tabis profluvium, quod per prædictam morbi ætatem scaturit, ut victrix tamdiu pestis, ullis unquam nostræ artis viribus comprimatur.

IN HYDROPE.

Experti sæpè multi compererunt, nullas digitali vires inesse, quibus duorum morborum (*Hydrocephalum internum* vocant, atque *Ovariorum Hydropem*, illorum quidem inter sævissimos flebilium et funestorum,) impetus summoveantur. Nec sæpè, felici eventu, Ascite laborantes ad illud auxilium confugerunt. Quapropter, in hujus medelam morbi, socianda digitali sunt alia remedia, ut calomelas et supertartris potassæ; commodèque id fit, si vesperi præbeatur digitalis, cum jam vires suas per totum diem, cætera remedia exseruerunt.

FINIS.